

P. R. O. talibus locis et cum talibus juribus jurisdictionibus libertatibus et privilegiis ad hujusmodi Portus spectantibus prout ei vel eis melius videbitur expedire Quodque omnes et singule Naves Cimbe et alia vasa quecunque causa merchandizandi ad Provinciam et ex Provincia predicta venientes et exeuntes ad hujusmodi Portus per dictum modo Baronem de Baltimore heredes et assignatos suos sic erigende et constituende solummodo onerentur et exonerentur Aliquo usu consuetudine aut aliqua alia re in contrarium non obstante Salva semper nobis heredibus et Successoribus nostris et omnibus Subditis Regni nostri Anglie et Hibernie heredum et Successorum nostrorum libertate piscandi piscem marinum tam in mare estuariis et fretis et fluminibus Navigio idoneis quam in Portibus estuariis et Crecis Provincie antedictae ac privilegio saliendi exsiccandi et arefaciendi pisces in littoribus ejusdem Provincie et ea de causa buscam et vimina ibidem crescencia succindere et capere et casas et tugoriola in hac parte necessaria extruere prout rationabiliter hactenus usi fuerunt aut potuerunt Quibus quidem libertatibus et privilegiis dicti subditi nostri heredum et Successorum nostrorum gaudebunt absque notabili damno vel injuria prefato modo Baroni de Baltimore heredibus vel assignatis suis aut ejusdem Provincie Incolis et Inhabitantibus in Portibus Crecis aut littoribus predictis et presertim in boscis et silvis ibidem crescentibus aliquo modo fiendis Et si quis hujusmodi damnum fecerit aut injuriam gravis indignacionis nostre heredum et Successorum nostrorum debiteque legum Castigationis periculum penamque preter emendacionis subeat Volumus insuper statuimus et ordinamus ac per presentes pro nobis heredibus et successoribus nostris concedimus prefato modo Baroni de Baltimore heredibus et assignatis suis Quod idem Baro de Baltimore heredes et assignati sui de tempore in tempus imperpetuum habeant et gaudeant telonia et subsidia in Portibus Navium stacionibus et aliis Crecis et locis predictis infra Provinciam predictam solubilia sive emergentia pro mercimoniis et rebus ibidem onerandis et exonerandis per ipsos et populos ibidem ut predictum est occasione emergente rationabiliter assidendis quibus eadem justa de causa debita proporcione assidere et inducere telonea et subsidia ibidem potestatem pro nobis heredibus et Successoribus nostris damus per presentes Et ulterius de gracia nostra speciali ac ex certa sciencia et mero motu nostris dedimus concessimus et confirmavimus Ac per presentes pro nobis heredibus et Successoribus nostris damus concedimus et confirmamus prefato modo Baroni de Baltimore heredibus et assignatis suis plenam et absolutam licenciam potestatem et auctoritatem Quod ipse prefatus modo Baro heredes et assignati sui de tempore in tempus imposterum